



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

V

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

debent alimenta à Fisco, vel à parte. Paulus III. const. 44.

Testes in causis Religionis, seu Militiæ Sancti Ioannis Hierosolymitani possunt esse milites, vassalli, & famuli eiusdem Militiæ. Pius IV. constitutione 9. quæ incipit, *Circumspecta*: Kalend. Iulij 1560.

Testium dicta contra schismaticos, & hæreticos Inquisitores hæreticæ prauitatis publicare non tenentur. Pius IV. constitutione 40. *Cum sicut*, 1. Nouembris 1561.

Testamentum.

Consuetudo, quæ viget in toto ferè Regno Neapolitano, per quam morientibus ab intestato potest fieri testamentum ad pias causas à Rectoribus curatis, vel Vicariis foraneis, iuxta deuotionem, qualitatem, & quantitatem patrimonij, ac personæ ipsius defuncti, quo relinquatur aliquid modicum iis Ecclesiis, vel locis pijs, quibus defunctus deuictus, vel affectus erat, est laudabilis, & ubi viget, manuteneri debet, etiam cum censuris. S. Congr. Episc. in Tricaricensi, 5. Septembris 1603. & in Salernitana, 21. Martij 1614. cum infra scriptis tamen conditionibus.

Quod totum hoc fiat ab Ordinario cum paterna discretione, nec exigat, nisi modicum quid, habita ratione qualitatis, & quantitatis bonorum, necnon hæredum, & successorum, an sint pauperes, an sui, an facultas collecta sit ex mercimonijs, vel bonis Ecclesiasticis, vel alijs modis considerabilibus. Eadem S. Congr. 9. Maij 1581.

Et quando esset consuetudo exigendi quartam bonorum defuncti, id fieri non debet ad rigorem, sed ad arbitrium boni viri, habita ratione, vt supra. Eadem S. Congr. 5. Februarij 1591. Et si fieri poterit, fiat cum hæredum satisfactione. Eadem S. Congreg. 5. Febr. 1591. & 17. Decembris 1655.

Transactio.

Transactio, quæ fit inter Clerum, & seculares, est nulla, si non adest beneplacitum Apostolicum. Die 21. Martij 1628. in Vrbinatensi: lib. 1. decret. Paul. fol. 87. Vrbinatensis, die 29. Maij 1629. *ibidem* fol. 140. Item Vrbinatensis, die 5. Februarij 1630. lib. 2. decret. Paul. fol. 27.

Transactio Franchisiæ inter Senatum Burgensem, & Clerum, est nulla, sed datur modus approbandi. Die 13. Martij 1629. in Burgenfi, lib. 1. decret. Paul. fol. 127. à tergo.

V

Vicarius.

Vicarius Capitularis potest cognoscere super violatione immunitatis Ecclesiasticæ. Die 27. Nouembris 1626. in Tropiensi, lib. 1. decret. Paul. folio 27.

Et quatenus opus sit, danda est ei quælibet facultas ne-

cellaria. Die 27. Aprilis 1632. in Mediolanensi, lib. 2. decret. Paul. fol. 114.

Vicarius, præsentè Episcopo, non debet dare licentiam absoluedi; idè ipse consultat propriæ conscientiæ. Die 28. Martij 1626. in Vintimiliensi: lib. 1. decret. Paul. fol. 3.

Vicarius non potest subdelegare absolutionem reseruatam. Die 6. Decembris 1627. in Neapolitana: lib. 2. decret. Paul. fol. 74. à tergo.

Vicarius capitularis non habet facultatem, quam habet Episcopus in casibus Bullæ Gregorianæ. Die 8. Nouembris 1650. in Vercellenfi: lib. 3. decret. Paul. fol. 125.

Vicarius Apostolicus nulliter suspendit censuras reseruatæ, & incidit in excommunicationem. Die 21. Decembris 1652. in Lancianensi: lib. 3. decret. Paul. fol. 10.

Vicarius non potest absolvere cum reincidentia, idè est absoluedus. Die 13. Decembris 1633. in Sancti Marci: lib. 3. decret. Paul. folio 180. à tergo. Bituntina, die 20. Nouembris 1657. libr. decret. Roccij, fol. 42.

Vicarius non debet attendere ad hortatorias à Regibus emanatas. Die 20. Nouembris 1631. lib. 2. decret. Paul. fol. 105.

Vicarius ob partitionem hortatoriæ Regiæ suspenditur à diuinis. In Catacensi: lib. 2. decret. Paul. fol. 164. Nullius Abbatia Casciæ Nouæ, die 14. Ianuarij 1634. *ibidem* fol. 180.

Vicarius non debet admittre custodias hæcorum pro confugio in loco immuni. Die 15. Septembris 1637. in Hydruntina: lib. 3. decret. Paul. folio 43.

Vicarius Foraneus non habet facultatem extrahendi. Die 29. Maij 1629. in Spoletana: lib. 1. decret. Paul. fol. 240.

Vicarius remouetur, qui pecuniam accipit pro eo, quod non debet, & qui non defendit libertatem, & iura Ecclesiastica publicè tortus, bannitorum causâ damnatus, qui filios bastardos habet, qui negotia gerit illicita, qui Clero & populo non est acceptus. S. Congregatio Episcop. 6. Augusti 1601. & 22. Ianuarij 1602. & 20. Aprilis 1603. & 3. Februarij 1604.

Vsurarius.

Quando quæstio est iuris, cognitio causæ spectat ad Iudicem Ecclesiasticum; quando verò est facti, datur locus præuentioni. Die 16. Aprilis 1630. in Meliuitana: lib. 2. decret. Paul. fol. 37.

Vsurpantes.

Vsurpantes bona, vel prouentus Ecclesiarum, vel piorum locorum, vel occupantes, vel impediētes quominus percipiantur ab ijs, ad quos pertinent, & Clerici consentientes, incidunt in canonem Bullæ Cœnæ, & pœnas Concilij Tridentini sess. 22. cap. 11.

Vxor.

Vxores Clericorum coniugatorum gaudent priuilegijs, quibus gaudent mariti viuentes. Die 22. Septembris

68 R. P. Thom. Delbene, Addit. nouiss. Lit. V.

bris 1648. in Barenfi, *libr. 4. decret. Paul. fol. 59. à tergo.* Melitenfis, die 11. Ianuarij 1633. *lib. 2. decret. Paul. fol. 120. à tergo.*

Vxores Presbyterorum Græcorum post mortem eorumdem gaudent priuilegio fori, attentâ legitimâ consuetudine. Die 4. Septembris 1657. in Rossanenfi: *lib. decret. Roccy, fol. 32.*

Vxor, quæ aufugit in locum immunem, non potest ibi examinari contra virum suum. Die 17. Nouembris 1654. *lib. 5. decret. Paul. fol. 57. à tergo.*

Vxor occidens virum suum dormientem non gaudet immunitate Ecclesiastica. Die 27. Decembris 1625. in Cremonensi, in *Regesto scripturarum veterum, fol. 77. à tergo.*



INDEX